



**UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN**

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

16

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

indulgentiæ publicarentur, vel nunciarentur, & qui secus facerent, in excommunicationis sententiam eo ipso incurrere voluit, & quod ab Ordinariis locorum punirentur, ut per Navar. *in eodem. com. de indulgent. no. 33 in princip.* quana suspensio- nem etiam ad suum, & ejusdem Sedis Apostolicæ beneplacitum, eodem modo, & forma supra expressis, Clemens Papa VII. post jubilæi indictionem, innovavit, quæ tamen indulgentiarum suspensio solum procedit in plenariis, non autem in aliis, ut ipsius suspensionis expressa verba aperte testantur, & declarat Navar. *ead. com. not. 25, n. 2, & 3:* & cum sit odiosa, ampliari non debet ad non expressa, *cap: odia, de reg. jur. in 6.*

Hæc autem suspensio, quoad plenarias, durat, non solum durante anno Jubilæi, & vita Papæ Clementis, sed usque ad beneplacitum Sedis Apostol. quod morte Pontificis non tollitur, quia non respicit personam, ut ex contextu Bullæ patet, sed auctoritatem Pontificiam, quæ in omnibus successoribus perseverat; & propterea, nisi à Pontifice pro tempore existenter revocetur, semper intelligitur in suo robore permanere, *cap. si gratiosè, de rescript. in 6.* & Navar. *in d. com. not. 28 nu. 7:* & licet non desint scribentes stylum curiæ habere, ut elapso anno Jubilæi, cæteræ omnes indulgentiæ reviviscant, consuetudine, quæ Papa scit, & tolerat, ita interpretante; tamen, anno Jubilæi elapso, & requiritur expressa suspensionis revocatio, ut tradit Navar. *in d. com. de indulgent. not. 33: nu. 7.* ex relatu Datarii de mente Gregorii XIII. & ita Clemens Octavus anno Jubilæi expleto interrogatus, suspensionem durare, donec aliter, &c. respondit: Cessat tamen sus-

pensio cum verbo, vel scripto Papa declarat, ipsam suspensionem fore sublatam, & communis usus ita testatur.

Ad indulgentiarum validitatem quinque requiruntur: auctoritas in concedente,abilitas in recipiente, pietas in fine, utilitas in opere, & congruitas in tempore, secundum glo. *in d. extravag. 1. & septem secundum Innoc. in cap. quod autem, de pœnit. & remiss.* & quatuor secundum Grass. qui sequitur d. gloss. *ead. c. 15. n. 51.* sed communis sententia est, & quod tria tantum requirantur, scilicet ex parte dantis auctoritas, ex parte recipientis charitas, & ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatem, S. Thom. *in 4. d. 20. q. 1. art. 3. q. 2.* & Navar. qui testatur, hanc opinionem communiter receptam, *d. com. not. 32. num. 28.*

Primum requisitum est auctoritas ex parte dantis, quæ summa est penes Papam, summam, universalem, & unicam Christi Vicarium, à quo alii inferiores ordinariæ, vel delegatam recipiunt auctoritatem, *c. cum ex eo, in fine, de pœnit. & remiss.* gloss. mag. *in c. 1. extravag. commun. eod. tit: Paul. in 4. d. 20. q. 4. colum. 6:* Navar. *ead. com. not. 31. num. 1, 2, & 3.* & not. 32: nu. 11: & Grass. *d. cap. 15: num. 51, par. 1, lib. 4.*
 7 Secundò apud Concilium generale legitime congregatum, cujus, ut magna est in universam Ecclesiam jurisdictio, sic etiam habet potestatem concedendi indulgentias plenarias, Abb. *in Clem. abusioibus, num. 2, de pœnit. & remiss.* & Felin. *in serm. de indulgent. circa fin.* qua potestate usum est Concilium Constant. *sess: 17: ad fin.* ubi plenariam indulgentiam concessit iis, qui certam pecuniæ summam tribuissent ad faciendas expensas pro adventu

Græc.